FUNICULUS PRÆDESTINATIONIS COELESTIS

QUEM

Ex oraculis Sacræ Scripturæ; Authoritatibus Conciliorum; & præcipuorum Ecclesiæ Doctorum ſententia ductum,

M. ANDREAS KUCHARSKI
S. Theol. Doctor, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Canonicus, luci publicæ ſpectandum expoſuit.

DUM

Pro Loco inter S. Theologiæ Doctores, eiuſdemque Almæ Academiæ Profeſſores obtinendo,

IN

Collegio Sereniſſimi & Inuictiſſimi VLADISLAI IAGELLONIS, *olim Regis Poloniæ & Magni Ducis Lithuaniæ, nuncupato Maiore, diſputaret.*

Lectorio DD. Theologorum Die 3. Ianuarij, Anno 1658.

CRACOVIÆ,
In Officin. Viduæ & Heredum Franciſci Cæſarii, S.R.M. Typ.

D. Augustini Homilia 27. super Ioannem

Nemo venit nisi tractus. Quare illum trahat noli velle iudicare, si non vis errare. Nondum traheris; ora vt traharis. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam: nuces puero demonstrantur & trahitur, & quó currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur; cordis vinculo trahitur.

FVNICVLI PRÆDESTINATIONIS COELESTIS
Typus
Ex Ima P. Doctoris Angelici Quæ 23.
Delineatus.

V. Prædestinatio Dei æterna; Prouidentiæ pars intellectualis formaliter; mediantibus Gratiæ effectibus; Creaturas rationales; sine vlla meritorum præuisione, ad gloriam infallibiliter transmittat nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

Prædestinatio creaturarum in mente Diuina ab æterno præexistit; ceu actus ineffabili bonitati eius, summè conueniens.

COROLLARIA.

1 Prædestinatio quoad nomen, propriè præmissionem alicuius in aliquid denotat; ad quod vi suæ naturæ peruenire non potest.

2 Nomen prædestinationis, licet præmissionem formaliter significet; tamen alias etiam Verbi Destino significationes, non excludit.

3 Prædestinatio sine addito in bonam partem accipitur; eiusdem cum addito, sensus anceps est.

4 Particula Præ, ad compositionem Prædestinationis concurrente, ordo triplex, Durationis, Causalitatis, & Dignitatis, tangitur.

5 Prioritas Durationis, particula Præ significata, diuersimodè diuersis prædestinatis conuenit.

6 Liberum arbitrium in Creaturis prædestinatione æternâ lædi, Hæreticorum figmentum est.

CONCLVSIO SECVNDA.

Prædestinatio comparata Prouidentiæ, in amplissima significatione acceptæ, titulum partis Obiectiuæ meretur.

COROLLARIA.

1 Licet Prouidentià ambitu suo contineat Prædestinationem, & alias partes; tamen non est genus ad illas, nec de illis formaliter prædicatur.

2 Prædestinatio, Reprobatio, Prouidentia item naturalis & supernaturalis, materialiter inter se duntaxat distinguuntur.

3 Idem actus Prouidentiæ Diuinæ indiuisibilis, diuersa obiecta materialia connotans, diuersas denominationes sortitur,

4 Prouîdentia Dei, communicans personalitatem humanitati, dans electis gloriam, & nonnullos ab eadem deficere permittens; nominibus Prædestinationis & Reprobationis, rectè exprimitur.

5 Obiectum Prouidentiæ in Deo formale, ipsamet essentia Diuina statuitur; quatenus est ex se ratio sufficiens, vt creaturis de medijs omnibus prouideat.

6 Finis adæquatus omnium, quæ sub Prouidentiam Dei cadunt, est bonitatis Diuinæ in triplici rerum ordine manifestatio.

CONCLVSIO TERTIA.

Prædestinatio Creaturarum ad Gloriam, in actu intellectus Diuini formaliter consistit.

COROLLARIA.

1 Actus Prædestinationis, motionem voluntatis, rationem formalem obiecti intellectus intrantem completiuè & non primariò, supponit.

2 Essentiam Prædestinationis ex vtroque actu, Voluntatis & Intellectus conflari in recto, rationi consonum non est.

3 Actus intellectus, in quo Prædestinatio formaliter consistit, actus imperij efficacis est.

4 Actum iudicij non semper executio sequitur: nisi accedat imperium efficaciter aliquid faciendum præcipiens.

5 Definitiones Prædestinationis à præcipuis Ecclesiæ Doctoribus traditæ, optimæ & formales censentur.

6 Quicunque asserunt, in definitione Sancti Augustini, nomine Præscientiæ, Mediam Scientiam intelligi, mentem illius non attingunt.

CONCLVSIO QVARTA.

Gratia tàm actualis, quàm habitualis; Gloria item æterna, sunt effectus Prædestinationis.

COROLLARIA.

1 Vocationes internæ & externæ, efficaces & inefficaces, à Prædestinatione ceu causâ efficiente procedunt.

2 Vocationes ambæ, licet aliquando præcipuo effectu suo careant, tamen animum vocati disponunt, vt liberè tandem suauiterque ijsdem consentiat.

3 Gratia iustificans etiam interrupta, primo ex intentione Dei, prædestinato collata; à numero effectuum prædestinationis non secernitur.

4 Actus omnes supernaturales, electum ad gratiam iustificantem disponentes, in prædestinationem referri debent.

5 Omnis effectus Dei, pertinens ad supernaturalem Prouidentiam eius, prædestinatos efficaciter in vitam æternam dirigentis, à prædestinatione ordinatur & quasi imperatur

6 Amor, gaudium beatorum, glorificatio corporum, & aureolæ; habent se ad gloriam concomitanter.

CONCLVSIO QVINTA.

Prædestinatio Dei æterna, creaturas rationales, sine vllâ meritorum præuisione, ad gloriam transmittit.

COROLLARIA.

1 *In* prædestinatis nulla penitus causa transmissionis reperitur; ne dum meritoria, sed ne dispositiua quidem, aut conditio sine qua, non.

2 Præscientia boni vsus liberi arbitrij nihil facit, vt Deus de medijs ad consequendam Gloriam efficacibus prouideat.

3 Bona opera moralia, viribus innatis libero arbitrio facta, primum effectum Prædestinationis de congruo non merentur; neque ad eum disponunt.

4 Licet Præscientia bonorum operum in prædestinatione inueniatur: eam tamen, nec antecedit, nec in eodem rationis signo, simul cum ea est.

5 Vnum prædestinationis effectum in particulari, esse causam & rationem alterius, nihil impedit.

6 In prædestinatione tàm ad Gratiam, quàm ad Gloriam, acceptatio personarum non datur.

CONCLVSIO SEXTA.

Prædestinationi Diuinæ creaturas rationales transmittendi ad Gloriam, vis infallibilis inest.

COROLLARIA.

1 Infallibilitas, & essentialis, & participatiua in prædestinationem cadit.

2 Finis supernaturalis respectu causæ proximæ consideratus non habet infallibilitatem; at respectu causæ primæ est infallibilis.

3 Certum est vtraque infallibilitate hunc prædestinatum nec maiorem nec minorem gradum gloriæ participandæ consecuturum; quod intellige de omnibus prædestinatis.

4 Omnia opera meritoria, quibus electi ad talem gradum gloriæ perueniunt, secundum omnem Entitatem bonitatis graduum, & quoad circumstantias in particulari, vtramque infallibilitatem habeat.

5 Prædestinatio respectu gratiæ, & reprobatio respectu culpæ in infallibilitate differunt: quarum hæc vnam duntaxat; illa vtramque admittit.

6 Infallibilitas essentialis, de hoc vel illo prædestinato, in solo Deo propriè; in alijs quamuis ratione diuersâ communicatiuè inuenitur.

Intellexisti cogitationes meas de longe: cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam; semitam & funiculum meum inuestigasti. Psal: 138.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, & Excellentissimi Viri, Domini

D. M. FRANCISCI ROLINSKI

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris ac Professoris, Consulis, & Generalis Studii Academiæ Cracouiensis

RECTORIS

Vigilantissimi.